



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento
Selectæ**

Pexenfelder, Michael

[S.l.], 1711

LVI. Maleficia Saulis in Davidem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

sus, jam tum regnare didicit; nam Seneca teste:
ars prima regni est, posse invidiam pati.

NARRATIO LVI. MALEFICIA SAULIS IN DAVIDEM.

I. Reg. 18. 19. 22. 23. 24. 25. 26. Annis Mundi
2971. 2972. 2973. 2974. 2975. 2976. Ante Ch.
1082. 1081. 1080. 1079. 1078. 1077.

VNa est invidiæ & ignis natura, quæ diu latere non potest, sed citò in illustria erumpit incendia. Saules, ut supra exposuimus, odij & invidiæ Furijs instigatus in Davidem, omnes machinationes, adhibuit, ut hominem de se, regnòque suo meritum optimè, tolleret è medio. Epinicium Davidi cantatum, erat ulcus in pectore livido, quod altera mox post victoriam, & cæsum Goliathum die, sese aperuit; Sauli namque ab orcino spiritu, exagitato, cùm David adduceretur, ut malò Geniò citharæ suavitate pulsò malaciam reduceret insanienti, conatus est [non ignarus quid faceret] lanceâ transverberare psallentem; peregrisèque crudele facinus, nisi David capitis declinatione, ictum frustrâisset, ejusque impetum in parietem deflexisset, Quod scelus cùm non successisset, ut fraude perficeret, quod aperta vi non poterat, simulat rex impius, tanquam inscio sibi & invito hasta fuisset elapsa, moxque aliam indutus larvam, statuit homicidiuna

moliri, nec sine specioso vaframento. Constituitur David tribunus militum, ut periculis obiectus tantò periret citius, quantò promptius in belli discrimina ruebat impiger juvenis. Nec ea vafrantie procedente, alia sanguinaria fallacia excogitatur. Pro *Mérhoba* filiarum Saulis natu grandiore, Davidi in victoriæ præmium promissâ ac desponsâ, sed perfidè alteri collocatâ, *Michbla*, soror illius in nuptias offertur, adjectò quasi dotis pactò, *centum* è Philisthæis cæsis, præputiorum. Horum difficili præfectione circumventum Davidem, sperabat Saules, in insidias atque perniciem esse præcipitandum. At ille non contentus centum, etiam duplum annumeravit impudentis illius postulati: victor hostium, ac gener regis utrisque licèt invitis, factus. Paulò post, celebritate famaque generi sui, veterem retractus in invidiam Saules; ad ingenium suum, & Davidis ad odium redit; impellit ad ejus necem maturandam non tantum amiciores suos, atque domesticos, sed insuper Jonatham filium suum, Davidis amicissimum; ut hic eum, ceu Regni, quod morte patris ad eum esset transiturum, subsefforem è medio tolleret. Nihil ponderis habuit crudelis instigatio; plerisque Davidis gloriæ, magnanimitatiquè faventibus; Jonatham comprimis patrem à cruento consilio averte. Verum nec ista reconciliatio fuit annosa. Non enim multò post, redeunte tum invidiæ, tum furoris æstu, citharâ ludentem, canentemque; coram se generum, aggressus hastæ solitæ conjectu Saules; iterum nisus est trajicere: fugientemque suas in ædes, & in uxorio thalamo latitantem; per emissarios insēcutus, ad se perducere, catenis injectis, imperavit.

— 507 —

peravit. Occidissetque : nī conjugis Micholæ
 fedulitate, per averſam domūs partem è valvis demif-
 ſus, David & ministros feſellisset regios, & iniquif-
 ſimum regem; Ramátham verſus, ad Samuelem, in-
 ſtitutá per tenebras fugá. Quo tempore Michola
 conjux; ne viro facultas deeffet elabendi, quámque
 longiſſimè recedendi, ſimulacrum ligneum, ad ho-
 minis longitudinem figuratum, ac pelle capræ ful-
 væ vittatum, in lectulo, tanquam ægrotantis ma-
 riti corpus, collocavit: & aliquantiſper ſatellites,
 eo dolo circumſcriptos, detinuit; donec ex rege,
 quid agendum eſſet, intelligerent. Fraude Mi-
 cholæ tandem, Davidiſque fugá, compertis: non
 deſtitit tamen Saules eum, etiam Ramátham uſ-
 que, tum per lictores ſuos; alios ex alijs, immiſ-
 ſos; tum per ſe ipſum quoque perſequi. Nec
 abſtinuiſſet ab eius cæde manus; niſi vis altior ei
 tunc homicidæ mente ſubtractá, mentem ac ſpiri-
 tum injeciſſet hominis entheati; cùmque cætero
Prophetarum choro vaticinantis. Quare manibus
 tunc quidem incruentis & innoxijs, Gabaam rever-
 ſus; non diu tamen innocens eſſe perſeveravit;
 ſed poſt paullò ad Davidis infectationem ſe retulit.
 Quem iterum, uti proximè, purgare patri, recon-
 ciliaréque Ionathas conatus; non eâdem, quâ tunc
 eſt uſus patrocinijs felicitate, ſucceſſuque. Nam, elatus
 iracundiâ longè quàm unquam antehac, ardentiore Sau-
 les, & verbis contumeliæ plenis, & aſſuetæ ſibi lanceæ
 cuspide, Defenſorem Davidis impetivit, cùm Davi-
 dem ipſum non poſſet. Nec deinceps eò minùs in
 propoſitò perſtitit, inviſi ſibi juvenis occidendi:

Q 4

qui-

quibuscumque contingeret eum in locis ac latebris deprehendi.

Sed jam David à Jonatha præmonitus, ad tutiora se contulerat: Gabaaque finibus excedens, *Noben*, urbem in Tribu Benjaminæ Leviticam ac Pontificis, Sacerdotumque tunc sedem, confugerat. Ibi ab *Achimelecho* Pontifice, paucissimo cum comitatu, comiter exceptum: & *Gladio Goliath*, *panibusque sacris* pro rerum necessitate, viaticatum; *Doëgus* (Idumæus qui *circumcisionem*, & Hebræorum ritus, acceperat) regionum pastorum præfectus, Sauli prodidit. Hic tum, ut tyrannus, qui sacrum inter & prophanum jus, caputque nihil distingeret: ad se, nullâ morâ per lictores *Achimelechum* accersit. Venientem, & in conspectum perductum cum octoginta quinque Sacerdotibus, acerrimè primùm, ob hospitium & amicitiam Davidicam, summam per calumniam increpat; deinde cunctos imperiò suò, *Doëgique* famulari ferro, contrucidat. Nam cæteri, quibus id mandatum à Saule fuerat, iniicere sacrilegas, cruentasque manus DEI ministris detrectarant. At ille virorum octoginta quinque summique Sacerdotis cæde nondum satiatus; mittit eundem carnificem suum: qui *Nobes* urbis incolas universos, nullo sexûs, ætatis, atque causæ discrimine, cum gregibus & armentis, unum in cadaverum acervum redigat; urbisque tecta, mœniæque, flammâ, demolitione perdat. Ad eò suævit furor invidiâ & ambitione cæcus. Unicus è tanta strage, Sacerdotis supremi filius, *Abiathar*, elapsus fugâ Davidi, quæ circa patrem, ac *Noben* urbem essent gesta, dolenti dolens exposuit:

ac mutuas optimo Principi lacrimas suis fletibus expressit.

Porrò David inter hæc , fugam ex fuga trahens latebrásque latebris commutans ; ad *Achin* primò, Gethæum Regem se contulit. Deprehensò verò confessim , se digitis ac murmure notari plurimorum ; simulatâ mentis invaletudine vitæ , & libertati suæ consuluit. *Gethâ* profugit in speluncam petræ cujusdam, adjacentis *Odollæ*, Judaicæ tribûs Urbi ; eodémque traxit alios, numerò ferè quadringentos ; universamque cognationem suam ; quorum plerosque res angustæ domj ; multos etiam, Saulis exagitatio , tanquam oppressorum omnium capiti conciliârat. Sed nec hóc locò diuturna mora. Relinquitur *Odollæ* spelunca : transitur Iordanes ; venit *Massépham*, urbem permunitam, Moabitarum ad regem. deponitur illuc, majoris securitatis causâ , quod in terris habere charissimum David debebat , paternæ domûs residuum , unicúmque pignus ; *pater Matérque Davidis*. Ipse cum suis, præsidium agitât regium eodem in loco. Sed nec istud in longum, dissuadente, per *Gadum Prophetam* Deo, loci barbari, simulacrorúmque cultui dediti periculosum hospitium. Reditur igitur in Judæam ; degitur aliquantisper in saltu *Haretæo*, inde quoque conatus eum extrahere Saulis furor : dum curis inutilibus alijs rex occupatur ; spatium Davidi vel invitus dat, in *Ceilam*, Judaicæ tribûs oppidum, haud ita procul *Odollâ* situm, transeundi. Sub idem tempus Davidem, sexcentorum jam numero capiti tum auctum, ac *Ceilam* adversus Philisthæos tutantem ; secundissimòque cum his præliò, non sine victoriæ magno

Q s

lu

lucro, congressum: Saules omni gentis Israëlita
robore, multitudinéque sub signa convocata, festi-
nabat opprimere. Verum David, ab oraculo per
Abiathanem pontificem, uti periculo se subduce-
ret, instructus: post multiplices errorum ambages,
in *Ziphae* tandem solitudinis opacissimum montem,
Hachilam, cum omni suorum manu, perfugit. Hic
quoque proditus ab accolis & incolis ejus loci, *Ma-
onis* desertos montes & saltus fugam petijt; in lateri-
petrae *Maonae* delitescentem, adeo, circumfusus ra-
dici montis copijs, Saules obsedit, atque conclusum
tenuit: ut ad omnis effugij supremam desperationem
eum adegerit; certus ultimis illum, exquisiti-
ssimisque cruciatibus laniare. Nec destitisset pro-
positio: nisi consilia regis disturbante DEO, Philistini,
Saulis absentiam in suam opportunitatem ven-
tentes, in regnum illius irrupissent ex improvise,
praedas agentes, & hostilia facientes. Ad cuius
rei nuntium Saules, rebus suis regnoque suo male
metuens; trepidus obsidium Davidis solvit: ac
qua parte, publicum intelligebat hostem grassari,
totis illuc regni viribus ire properavit.

Eo discussio *Reipublicae* periculo; continuo rex ad
hostem, quem ipse sibi fingebat, *privatum* reverti-
tur: ac, *Maone* transgressum *Engaddaeos* in montes
Davidem, tribus millibus fortissimorum Israëlita-
rum stipatus, eodem continuo sequitur: è latebro-
sis illius saltus jugis, quantumcunque natura per-
munitis, eum extracturus. Sed Davide etiam in-
de evadente in *Pharaneam* solitudinem; Saules sce-
lus novum, & contumeliam in Davidem comen-
tus, improbitatem suam exsequitur. Filiam nam-
qu

que *Micholam*, in matrimonio Davidis jam olim de-
gentem, & nec repudiatam à viro suo, nec ullo
modò legitimò segregatam; invito genero vetere,
genero repentè novo, *Phaltæ* Laifæo collocat, &
e temporis exigui vidua (sicuti, per Davidis ab-
sentiam, & exilium videri poterat) perpetuam fa-
cit adulteram. Nec hîc tamen illius substitit infa-
tabilis improbitas; nam compertò, Davidem re-
lictò *Pharanis* & *Madnis* desertò, in petram *Hachilæam*
redisse: succinctus electissimorum prætorix coho-
tis tribus millibus, adversùs Davidem castra locat,
munitissimò contra petram locò. Noctis benefi-
ciò, etiam huic discrimini se David subduxit, &
scelègam (Simeonææ tribùs urbem; sed Philistinæ
nuper ditionis factam, sibique ab *Achi* Gethæo
concessam) cum suis infedit. Quam subinde ab
Amalecitis (Davide cum socijs, in Philisthæorum
castris commorante) incensam & despoliatam, cum
nuntius retulisset: David eos persequens, ductu
cuiusdam pueri Amalecitæ, epulantibus, & tripu-
diantibus supervénit, editaque magna strage, cap-
tivos & prædam ablatam reduxit. Quò locò, cum
annum solidum, ac menses quatuor moram trahe-
ret: ibique de finitimis barbarorum terris, tan-
quam ex gentilium suorum agris, prædas identi-
dem ageret; in Achis regis intimam gratiam, ami-
citiàmque penetravit. Inter quæ, Sauli quoque,
qui decimum jam, octavùmque regij dominatùs
agebat annum, suprema sua dies, & ineluctabile
flagitiorum supplicium, in montibus *Gelboers* advenit.
Occasio verò; quæ noxium caput ad pœnam rapuit,
bellum fuit à *Philisthinis* reparatum, in quo Saules cum
filijs

filijs suis perijt, quemadmodum superius enarratum est, Hic solet esse insani furoris exitus, ut suis in laqueis, quos innocentiae locavit, miserè tandem capiatur.

NARRATIO LVII. DAVIDIS BENEFICIA IN SAULEM.

I. Reg. c. 16. 17. 24. 26. & 2. Reg. I. Annis
Mundi. 2971. 2976. 2978. 2979. Ante
Ch. 1082. 1077. 1075. 1074.

Certamen inter se susceperunt Saules, & David; ille hostilitatis, hic humanitatis: ille odiorum, hic obsequiorum: ille superbiae, hic demissionis: ille perfidiae, hic fidei: ille furtivae, hic mansuetudinis: ille machinationum nocendi, hic insidias evitandi. Quo quidem ex certamine David, Chrystomo teste, plus gloriae collegit, quam ex Philisthæo gigante fundâ dejecto. Id nunc exponemus.

Saules in Sacrificio primùm Galgalæo (quod narravimus) diem expectationis septimum non explens; posthac in Amalecitico bello, prædæque graviùs offendens: à delictis in pœnas, à pœnis ulterius in delicta, gradum facere cœpit; semperque posteriora quæque, vel scelerum, vel suppliciorum, antecedentibus atrociora sunt deprehensa. Reversus igitur ex urbe Galgalorum, in Gabæ suæ regiam urbem Saules, à nefario bilis atræ Genio, quali